



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

De humilitate, patientia & ædificatione in morbo. Thema. Cùm infirmor,
tunc potens sum. 2. Corinth. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)



REGULA L.
DE VIRTUTIBUS IN MORBO EXERCENDIS.
EXHORTATIO
IN EANDEM,

De humilitate, patientia, & ædificatione, morbi tempore,
exhibenda.

T H E M A.

Cum infirmus, tunc potens sum. 2. Corinth. c. 12. 10.

V E L

*Qui egrotat, humilitatem & patientiam suam præferendo,
non minorem ædificationem præstare debet, quam dum
valebat corpore. Reg. 50.*



Ræstantissima
Ecclesiæ Do-
ctorum lumina
Gregorius, Hie-
ronymus, & Au-
gustinus, illa
Regii Vatis ver-
ba explanâtes:

*Similis factus sum pellicano solitudinis.
Psal. 101. referunt (quamvis fidem
penes Authores relinquunt) Pellica-
num avem esse Ægyptiam, in solitu-
dinibus, potissimum prope Nilum,
nasci solitam, colore & magnitudine
cygno non absimilem, colaphis rostri
pulos occidentem, occisos triduo lu-*

gentem, ac denique sanguine è pecto-
re elicto superfusos, resuscitantem.
Avis hæc Christi Domini hieroglyphi-
cum est, qui sanguine suo nos pascit
& vivificat, virtutumque heroicarum
exemplis, in passione sua, nos reficit
atque ædificat. Deinde verò volucris
dicta symbolum est apud religiosi,
morbo prostrati; qui Christum Domi-
num infirmum, ac doloribus pleum,
imitari debet, *similisque esse pellicano
solitudinis*: reperit enim se solum in
cubiculo & lecto, dum alii agunt cum
proximis: & quamvis à Fratribus in
Christo charissimis, visitetur, & con-
solatione afficiatur: ipse tamen so-

LIII 2

las

ULA

lus dolores suos percipit, dumque illos, exemplo Christi, cum humilitate, patientia ac resignatione tolerat, circumstantes edificat, atque ad æmulationem provocat.

Quo autem pacto, in solitudine morbi, nos Religiosi, humilitatis & patientiæ exemplis alios edificare debeamus, jam jam dilucidabimus.

I.
Virtus in morbo exercenda est humilitas.

I. Prima virtus in solitudine morbi, ab infirmo exercenda (post obedientiam, exhortatione superiore expositam) est intima animi demissio, quæ ægrotus se, ob peccata sua, iuste à Deo hæc morbi poenâ plecti agnoscat. Solent enim homines, morbum à Deo infligi, eumque Dei beneficium esse, ignorantes, existimare se iniuste morbo puniri: quemadmodum filii immorigeri, à parentibus castigati, correptionem, inique ferunt: ideoque huiusmodi ægri, facile in murmur & querelas, linguam laxant; & voluntati Divinæ repugnant. E contrario S. Ignatius filios suos, morbo correptos, cupit, ex vera humilitate, morbum de manu Dei demissè acceptare, seseque hæc punitione, ob peccata sua, undequaque dignos reputare: licet enim Divina Bonitas nonnuquam Viris perfectione & sanctitate inclytis, velut S. Jobo & aliis, eo fine, morbos immitat, ut eos tanquam aurum in fornace prober, eorum merita magnis incrementis amplificet, eisdemque, tanquam clarissima patientiæ specula, aliis ob oculos ponat: ut plurimum tamen, præsertim, peccatoribus, ac Religiosis tepidis & imperfectis, morbos in peccatorum & ne-

gligentiarum poenam, infligit, idque eos, animo demisso, agnoscere oportet.

Quamobrem enim Deus Oziam Regem leprâ percussit, nisi ob delictum, quo Sacerdotii munus temerè profanus invalit? 2. Paralip. 26. 18. Quamobrem Mariam Moylis Sororem pariter leprâ multavit; nisi ob crimen, quo adversus Fratrem murmuravit? Num. 12. 10. Quamobrem Jeroboam Regem Israel manûs ariditate castigavit, nisi ob crimen idololatricæ, & manûs temerè in Prophetam extensæ? 3. Reg. 13. 1. Commune igitur est, à Divina Nemese morbos, ob delicta, infligi. Idem testatur Spiritus Sanctus ore Ecclesiastici c. 38. 15. *Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit illum, incidet in manus Medici.* Id est: Qui peccatum patrare audeat, contra Deum Creatorem suum, à quo sanitatem, vitam, omnique bonum suum obtinuit, ipse ingratitude ac malitiâ suâ meretur sanitatem, imò vitam, omnique bono privari, morbis exagitari, & ideo Medicorum manibus subjacere, à quibus multa dura, acerbæque sustinet. Eadem de causâ, Salvator noster agebat Paralytico Joan. 5. 14. *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius quid tibi contingat.* S. Chryostomus, Cyrillus, & Theophylactus tradunt, Deum Paralytico isti, morbum adeò diuturnum, octo & triginta annorum, immisisse, ob delictum aliquot in juventute commissum, antequam Christus natus fuisset: quod Christus Dominus ex spiritu prophetico sciens, monuit ipsum, ut deinceps à peccato

simili

simili sibi caveret. *Ecce sanus factus es; jam noli simili peccato in posterum te obstringere, ne detarius quid tibi contingat. Quis enim priori supplicio non est emendatus, ait Theophylactus, ad maiora tormenta servatur, tanquam insensatus & contemptor: idque ut ait Euthymius, sive in presentis vita, sive in futura, sive in utraque.*

Itaque ager tanquam pelicanus solitudinis, sub morbi exordium, cum Rege Ezechia dicat: *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine anime mea.* Isaia c. 38. 15. Revocetque sibi in memoriam vitæ totius delicta, tam gravia, quam levia, qua levia fortassis ad centena millia ascendunt; & tamen vel unicum duntaxat reperiret, merito tamen, cum latrone bono dicit: *Nos digna factis recipimus.* Justè penam subeo; multoties tormenta sempiterna & ignem purgantem commerui, adeoque levis hic morbus, criminum meorum gravitati minimè respondet. Imiteturque Davidem, qui Psalmo 6. quem, ex mente gravium Doctorum, in lecto ager decumbens composuit, & quo morbum in peccatorum suorum penam inflictum esse, humillimè agnoscit, misericordiam Divinam implorat, poenamque deprecatur. Ac 7. Maxima animi demissione deprecatur poenam aeternam: *Domine ne in furore tuo arguas me.* 2. Deprecatur poenam ignis purgantis: *Nec in ira tua corripas me:* quemadmodum illa duo, D. Augustinus exponit. 3. Humiliter misericordiam flagitat: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me, Domine,*

quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. 4. Humiliter ac doleuter suspirat & gemit. *Laboravi in gemitu meo.* 5. Humiliter & amanter defleat peccatum: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* 6. Propositum firmum concipit emendationis, ac de cetero non peccandi, atque occasiones peccatorum fugat: *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Ecce hæc est humilitas Prophetæ, infirmitate corporis pressi, hanc nos quoque imitari studeamus, si morbus nos occupet. Et primam à S. Ignatio præscriptam virtutem, humilitatem scilicet, exercebimus.

II. Secunda virtus Infirmo Religioso, velut Pelicano solitudinis, morbi tempore, exercenda, est *patientia.* Virtus hæc, ex humili peccatorum, suppliciorumque aeternorum qua illis promeriti sumus, cognitione, tanquam ex radice nascitur: quis enim infirmorum, ob morbi dolores, molestias, ac diuturnitatem, unquam impatientiâ se vinci sinat, qui toties penas aeternas, mortemque se commertum agnoscat? Qua de causa, hanc agnitionem, ortamque inde tolerantiam, strictè admodum requirebat S. Ignatius, etiam à Novitiis. Recenset in Societate Apostolorum imitatrice Tannerus de Sylvestro Landino, Societatis tyroce, morbo correpto, verum perquam impatiente, & infirmariis inobediente; eum sanitate recuperatâ, à S. Ignatio in patriam remissum, ita ut auceps haberet, num à Societate dimissus esset, nec ne; eò quod

LIII; absque

abſque ſocio mitteretur: quia tamen hanc impatientiam, poſtmodum Apoſtolicis Concionibus, admirandis laboribus, virtutum facinoribus heroicis, & incomparabili populi affluxu & concurſu, abundè compenſavit, à S. Ignatio receptus, atque ad votorum emissionem, admiſſus fuit, maximo Sylveſtri ſolatio & mentis exultatione. Tantopere S. Fundatori etiam in Tyrone, patientiæ defectus diſplicuit!

Deinde quis infirmorum, morbum, à benevola Patris cœleſtis manu, ſubmiſſum, non patienti, imò libenti animo amplectatur; ſi multiplicia emolumenta, ex eo promanantia, non obiter perpenderit?

Nam 1. Morbus patienti animo toleratus, velut caminus eſt, in quo anima, non ſecus atque aurum in igne, à peccatorum, vitiorum & paſſionem ſcoria perpurgatur. Hinc S. Gregorius L. 34. Moral. c. 23. *Durum non eſt timeſe eſſe, quod patiaris ab externis cruciatibus; ab interna paſſione liberaris.* Cùm nōnemo à Joanne Anachoreta, à febrī tertiana liberari flagitaret: Reſpondit. *Rem tibi neceſſariam, cupis abicere? ut enim corpora ferro, à vitio ita anima languoribus & caſtigatōibus purificatur.* Senex alius diſcipulum infirmitate oppreſſum, hiſce verbis animavit: *Ne contriſteris ob infirmitatem, aut plagam corporis; ſi enim ferrumes, rubiginem per ignem amiſiſti: ſi verò aurum es, per ignem probaris.* 2. Morbis caro atteritur ac debilitatur, & Spiritus roboratur: ea de cauſa inquebat Apoſtolus: *Cum infirmor, tunc*

potens ſum. 2. Corinth. c. 12. *Quid mirum, ait S. Bernardus ſerm. 29. in Cant. ſi hoſte debilitato, tu fortior efficiaris? Infirmiſ corpons, infirmitatem mentis periculoſiorem ſanas: nam iuxta Sapientem: Infirmiſ gravis ſobriam facit animam.* Eccli. c. 21.

3. Morbus meritum adauget, coronamque viro patienti in calis, fabricat. At quā methodo ac ratione morbus merita accumulatur. 1. Morbus meritum auget, dum vitam emendat, & in melius commutat. S. Baſilius in Reg. ſul. 35. *Morbi ſunt flagella peccatorum, quibus nihil aliud agitur, quam ut vitam noſtram in melius commutemus.* 2. Meritum auget, dum ad virtutum variarum exercitium, auſum & occaſionem præbet. *Infirmiſ corpons eſt ſobrietas mentis, infirmitas virtutum officina eſt.* ait S. Ambroſius. 3. Meritum auget, dum ad Deum confugere compellit, ad orationem excitat, devotionem promovet. Quare ſanctus nonnemo à milite rogatus, ut à morbo liberaretur, audientique quòd in ægritudine melioris vita, devotioniſque majoris eſſet, quam tempore ſanitatis, ei ſuaſit: *Ora Deum, ut te ſeruet in eo, in quo melior es. Quam multi ſcelerati ſani ſunt, qui inuocantibus agrotarent!* Exclamat D. Auguſtinus Tract. 7. in Joannem. 4. *Domine morbus meritum auget, quia patientia, fortitudo, conſtantia, iuſtum cum doloribus & radiis, eorumque victoria, æternitatis gloriæ in cœlis coronatur. Momentaneum enim & leve tribulationiſ noſtræ, æternum gloria pondus operatur in nobis.*

Quis igitur Religiosus, adeò parùm in virtutis Gymnasio & patientiæ palestra, est exercitatus; ut si hæc, quæ diximus, ritè perpenderit, morbum in se patienti non toleret? quis nam in murmur linguam solvere, aut contra DEUM, aut contra hominem, aut contra pharmacorum amaritudinem, querelas proferre audeat?

III. Demissioni ac tolerantia virtus, tanquam comes individua, ab infirmo jungenda est *Edificatio proximorum*, & bonum exemplum omnibus inuisitibus præbendum. Id est, ut declarat S. Ignatius: *Verbis suis & ad edificationem facientibus utentibus, quæ ostendant, egritudinem acceptari, ut donum de manu Creatoris ei Domini nostri: quandoquidem non minus donum est, quam sanitas.* Tertia hæc virtus, ex præcedentibus nascitur: qui enim primò demissè, humilique mente, se ob peccata sua, morbum promeritum esse, agnoscit; ac deinde grandia ejus commoda, antedicta, perpendit; nullo negotio, morbum de paterna Domini manu, acceptabit, tanquam donum præstans, è quo tot tantæque emolumenta proveniant.

Aristotelis dictum est: *Discitem oportet credere.* Hæc in patientiæ ludo est prima lectio: *Discitem oportet credere.* Nemo suaviter, nemo expedite, nemo utiliter discet, qui non promptissimè credit. Quid ergo infirmo, & adversa patienti credendum? hoc nimirum, *Omnem egritudinem, omnem afflictionem, omnem dulem, omnem omnino crucem à Deo*

esse, à quocunque demum homine illa imponatur. Testatur id reliquit Siraides Eccli c. 11. 14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Bona & mala in æstimatione hominum, qualia sunt, sanitas & morbus, vita & mors à Domino Deo submittuntur. Unde rectè interrogat Propheta Amos c. 3. 6. *Si est malum in civitate, quod non fecit Dominus? tanquam si diceret, non est.* Hoc ergo credendum est infirmo, morbum esse à Deo; morbum esse Dei donum: adeoque velut donum ac beneficium, de paterna Dei manu profectum, esse acceptandum. Quoniam verò hoc ipsum nonnullis difficile creditu accidit: nonnihil id declaremus.

I. Quemadmodum passio, dolor, & cruciatus Christi, donum Dei singulare fuere; ita & quemvis morbum Dei munus censendum esse, nemo ambigat; etenim de passione sua Salvator ipse Petro testatus est, gladium stringenti: *Mitte gladium tuum in vaginam: calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Joan. c. 18. 8. Verùm quid loqueris Domine! an non amarum illum passionis tuæ calicem, Iscariotes, Annas, Caiphas, Pilatus & Herodes miscuerunt? an non quini hi pharmacopæi, merum hoc absynthium, hanc aloën, fel hoc acerbissimum præpararunt? nequam Sed hunc calicem Pater miscuit, Pater infudit, ac porrexit, absque cujus voluntate, nec guttula tristitiæ cruciare, nec spinula pungere, nec stillula sanguinis exprimi atque manare valeret. A paterna igitur manu, hic

hic calix offertur, hic potus propinatur. Unde Redemptor agebat: *Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite eamus hinc.* Joan. c. 14. 31. Sicut ergo Christi passio, ita & morbus quilibet est donum Dei, est calix à Domino temperatus, qui nec guttam continet, quam Dominus non infuderit. Agnovit id ipsum & credit R. P. Christophorus Mendez S. J. Sacerdos Anno 1623. Malagâ piè defunctus, qui inter sex postremorum vitæ annorum paralytici, & inter omnes quantosvis dolores, ingeminabat: *Nonne horum, qua patior, author est Deus? Hoc unum satis est & abunde, ut patiar libens.*

2. Varia donari solent dona amicis & filiis, & his quidem hæreditas transferitur. Morbus uti & quævis crux & adversitas, arrha & pignus est hæreditatis cælestis; ut testatur S. Leo serm. 9. de quadrag. *Certa atque secunda est expectatio futurae beatitudinis; ubi est participatio Dominicae passionis. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Ait Apostolus ad Rom. 8. 17. Et idem 2. ad Tim. 2. 12. *Si sustinebimus, & conregnabimus.*

3. Dona quoque varia à Sponso donari solent sponsæ, ut sunt, ornamenta cimelia, & præcipuè annulus; Christus Dominus Sponsus cælestis, cimeli & annuli loco, sponsæ submittit agnitivam: velut ipse insinuat S. Gertrudi, teste Blofio: sicut annulus in sponsalibus arrha est fidelitatis inter sponsam & sponsam; ita

morbus & afflictio, si propter Deum patienter toleretur, Divinæ electionis, & sancti Deum inter & animam matrimonii, certum pignus est. Quos elegit, quos præcivit, hos & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, præcipuè in adversis.

4. Sunt & alia dona, quæ amicis donantur, ad solvenda debita, ut sunt thesauri & pecunia. Eiusmodi thesaurus & moneta morbus est, quo debita peccatis contracta diluimus. Ecclesiasticus ait c. 20. *Est qui multum redimat parvo pretio.* Morbo scilicet ignem purgantem, aliæ hujus vitæ supplicia. *Infirmus carnis, ait venerabilis Beda in sent. si patienter sustineatur, fit quasi purgatorius ignis: & sine ferro Martyres esse possumus, si patientiam in animo servemus.* Quis autem debitor mille talentorum, non perfundatur lætitiâ, si totam hæc summam, obolo aut crucigero una possit extinguere? unde R. P. Joannes Eusebius Nierenbergius S. J. agebat se in doloribus suis admirabiles reperisse thesauros. R. P. Franciscus de Navarra S. J. æger impensè à Deo petiit, ut hic ignis purgantis peccatorum supplicio exolvere liceret; & verò impetravit, ingenti dolorum examine miserrimè cruciatus, nec secus, ac si mille telorum generibus lanaretur.

5. Inter dona ac munera numeratur, honor, dignitas, nobilitas, quam Reges conferunt, dum gladio nobilitandos tangunt ac percussant, atque hoc ipso nobilitate donant, & questrisque Ordinis pugiles creant.

Pari ratione Rex cœlorum filios ac milites suos nobilitatis insignibus ornat, nobilitatẽque confert, dum tangit ac ferit morbis ac doloribus: ut eosdem gloriã & honore coronet æterno: modò patienti animo morbos suscipiant, donum ac manum Dei cum Jobo agnoscant, dicentes: *Manus Domini tetigit me.* Atque hunc tractum seu ictum tanquam de benignissimi Patris manu acceptent. *Considerare oportet,* ait Umberto p. 5. l. 5. c. 1. *Quis morbum immittat, & ad quã immittat, & attendere infirmitatem datam esse à Patre Luminum, & misericordiarum, qui non daret filiis suis, nisi sciret eis expedire; & ideo gratanter debet eam recipere. Deinde attendere debet, ad quã detur, & ad nãus hoc debet intelligere, quod jumentum videtur cognoscere, cum percutitur; quod scilicet percutitur, vel quia extra viam est, & ad viam redit; vel quia nimis lente incedit, & gressum suum accelerat; servari debet conscientiam suam, quem Dominus infirmitate percussit, & si extra viam paradisi se vertit, compungi & constiteri: si verò non invenit se extra viam paradisi, cogitet se pigrum esse, ad bene operandum, & fervorem assumat; juxta illud Psalmi: Multiplicata sunt infirmitates eorum; postea acceleraverunt.*

Quapropter, Dilectissimi, si Divina Bonitas morbum immiserit, nõsque velut pelicanos solitudinis in lectum doloris conjecerit; 1. Magnã animi demissione, morbum de manu Domini acceptemus, eumque sæpentero nos promeritos esse peccatis nostris, & agnoscamus, & profiteamur. 2. Nequaquam contra Deum, aut Infirmarios, aut pharmaca murmuremus; sed morbum, tanquam peccatorum purgationem, spiritus firmitatem, meritorum radicem, virtutum officinam, non patienti solùm, sed & libenti animo perferamus. 3. Nos, morbi tempore, ex charitate invisentes, verbis ædificemus; morbum tanquam Dei donum, cum Jobo; tanquam calicem à Patre datum, cum Christo; tanquam salutis æternæ arrham cum S. Leone, tanquam annulum sponsæ, cum S. Gertrude; tanquam aquam, pro extinguendo igne purgante, cum ven. Beda; tanquam signum dignitatis & notam nobilissimorum filiorum Dei, cum Umberto, prænã voluntate suscipiamus, & à nobis suscipi, verbis declaremus: hoc faciendo nobis ingens meritum & lætitiã, proximis exemplum & ædificationem; Deo gustum, gloriam & honorem exhibebimus.



M m m m

REGULA